

CHRISTI
449.

LEONIS PAP.
10.

THEOD. 42. IMPP.
VALENTIN. 25.

quam, verus in veritate, verus in carne, & salva gemina proprietate natura utrinque unus. Quod si Eutyches intelligeret ac veraciter crederet, nequaquam ab hujus fidei tramite decideret, propter quam ipsi Petro responderet a Domino: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in caelis: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt aduersus eam.

LXVII. Nimis autem a compage hujus edificationis alienus est, qui & beati Petri confessionem non capit, & Christi Evangelio contradicit, ostendens se nullum unquam studium cognoscendae veritatis habuisse & superfluo honorabilem usum, qui nulla maturitate cordis ornauit canitiem senectutis. Verum quia etiam talium non est negligenda curatio, & pie ac religiose, Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore iudicio omnis possit error aboleri: fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum presbyterum, & filium meum Hilarum * diaconum, cumque his Dulcittium, Notarium, probate nobis fidei misi; qui vice mea sancto Conuentui vestrae fraternitatis interfuit, & communi vobiscum sententia, quae Domino sint placitura, constituent: Hoc est, ut primitus pessimo errore damnato, etiam de ipsis, qui impudenter * erravit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus haereticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plene aperteque propria voce & subscriptione damnauerit; quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram se esse secuturum sententiam. Acceptis autem fratris & coepiscopi nostri Flaviani litteris, plenius ad eum de his, quae ad nos videtur retulisse, rescripsimus: ut abolito hoc quo inquinatus videbatur errore, in laudem & gloriam Dei per totum mundum una sit fides, & una eademque confessio, & in nomine Jesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Data Idibus Junii, Asterio & Protogene Consil. Haec ad Synodum S. Leo.

LXVIII. In qua quidem epistola illud velim, lector quam diligentissime expendas, & tenaci memoria numquam abolendum conserues, non sine auctoritate Romanorum Pontificum Imperatores consueuisse indicare Synodos. Quantulumlibet enim, ipso aegre ferente S. Leone, Theodosius (ut vidimus) instituerit cogendum Ephesinum Conuentum, cui nec cuperet ipsum per suos interesse legatos: haud tamen id ausus profsequi, neque perficere absque ipsius Romani Pontificis auctoritate, prout

declarant verba illa in epistola exordio collocata, quibus ait: Hanc reuerentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum auctoritatem Apostolicae sedis adhiberet, tamquam ab ipso B. Petro cuperet declarari, &c. Sic igitur cum audis, vel legis Imperatorum mandatis esse sacra Concilia convocata, e jusmodi pernoscas exemplo numquam id absque Romani Pontificis auctoritate executioni fuisse mandatum.

Sed & ex eadem Leonis ad Synodum epistola illud considera, praescribere legem Romanum Pontificem Oecumenicae Synodo, quid decernendum sit, cum iubet Eutychem debere suam haeresim condemnare, atque ita de ejus restitutione tractandum: de quo etiam in alia epistola ad Pulcheriam eadem die data, qua legatos commendat, haec habet (a): Sedis (inquit) Apostolica moderatio hanc temperantiam seruat, ut seuerius agat cum obduratis, & veniam cupiat praestare correctis. Nec quidem minimi negotii opus illud, ut de restitutione haeresiarum tractari posset, quod a Romano Pontifice Synodo indulgetur: nam auctores haereticum non recipiendos esse ad pristinum gradum, etiam si mille offerant libellos penitentiae, legibus Ecclesiasticis sancitum, & in Ecclesia iugiter observatum, superius vidimus. Sed Leo id Eutychem praestandum esse voluit, quod (ut dictum est) libellum miserat Romam quo pollicebatur, si quid errasset, sese ex ipsius Romani Pontificis arbitrio correcturum: quod ipse etiam Leo testatur in epistola ad Theodosium Imperatorem (b). Sic igitur Eutychem damnationem a Flaviano atque Synodo factam voluit Pontifex in suo robore permanere; ut si respiceret, eandem iuberet irritam prorsus reddi, ac proinde illum in pristinum locum recipi: hoc ipsum idem S. Leo in litteris ad Julianum (c) & in dicta Epistola ad Pulcheriam, qua ait (d), ut respiciens Eutyches, in communionem sui ordinis, nempe presbyteratus, reciperetur.

Rursum autem ex recens acceptis litteris data occasio est eidem Leoni Pontifici iterum ad Flavianum eodem mense Junii scribendi litteras (e), quae ejusdem sunt cum prioribus argumenti; adeo ut in his non sit immorandum. Sequenti vero mense Julii contigit Basilium diaconum a Flaviano Romam ad Leonem Pontificem missum praesto esse cum litteris, quibus de his quae ab adversariis magno studio aduersus fidem Catholicam pararentur ipsum redderet certiores. His acceptis S. Leo, ad eum rescribens (f), forti atque constanti iubet animo esse, haec habens inter alia: Dilectionem tuam per gratiam Dei, in qua fidimus, corroboramur, utentes verbis Apostoli (g), at-

LXIX. Praescribit sententiam de Eutychete S. Leo.

(a) Leo ep. 8. & supra ep. 13. in fin.

(b) Leo ep. 12.

(c) Leo ep. 19. (d) Leo ep. 13. in fin.

LXX.

(e) Leo ep. 16. & 17. Leo cohortatur Flavianum fortiter agere.

(f) Leo ep. 20.

(g) Philip. 1.

* Hilarium.

* imprudenter.

LXVIII. Auctoritas Rom. Pont.